

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 5393

**Auteur(s) :** Coutances (official)

**Bénéficiaire(s) :** Coutances (chapitre cathédral)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1272, 21 juin

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Mathilde, femme de Guillaume Pinchon, reconnaît la vente faite par son mari au chapitre de Coutances.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Fontanel Julie, *Le cartulaire du chapitre cathédral de Coutances*, Saint-Lô, Archives départementales de la Manche (Sources inédites sur l'histoire du département de la Manche ; 1), 2003, n° 158, p. 290-291.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis vel eciam auditoris, officialis Constantiensis apud Vallonias, salutem in Domino. Noveritis quod in nostra presencia constituta, Macilles, uxor Guillelmi Pinchon de Alta Villa, cum auctoritate dicti Guillelmi sibi prestita coram nobis juris sollempnitate que in hac parte requiritur in omnibus observata, confessa est dictum Guillelmum, de voluntate et assensu ipsius Macillis, vendidisse finaliter et eciam assignasse viris venerabilibus et discretis capitulo Constanciensi quinque bussellos frumenti ad mensuram de Alta Villa, habendos et percipiendos singulis annis ad festum sancti Michaelis in Monte Gargano dicto capitulo et ejus procuratori super quoddam masnagium quod habebat dictus Guillelmus in dicta parrochia, ratione dicte Macildis uxoris sue, situm inter terram Andree Valan ex utroque latere et doitum de Hautevilla de sub monasterio ex uno capite et terram Thome de Alta Villa ex alio, ita quod, nisi dictum frumentum quolibet anno ad dictum festum dicto capitulo seu ejus procuratori solveretur a tenentibus mesnagium supradictum, dictum capitulum et ejus procurator poterunt pro predicto reddito frumenti supradicto masnagio suam justiciam plenariam exercere ; et juravit dicta Macildes quod contra predictam venditionem dicti frumenti decetero non veniet nec in eodem frumento decetero aliquid reclamabit ; juravit eciam dicta Macildes quod dictum capitulum seu ejus procuratorem quominus pro dicto frumento supradicto masnagio possint suam justiciam plenariam exercere per se vel per alium non impedit ullo modo, volens autem et concedens quod a nobis ad observationem dicti frumenti compellatur et quod, si contra premissa vel aliquod premissorum veniet, a nobis excommunicetur, nulla monitione premissa et tanquam rea perjurii puniatur, pena centum solidorum tur. a parte dicte Macillis apposita solvenda dicto capitulo tanquam commissa, si contra premissa vel aliquod premissorum per se vel per alium veniret ullo modo ; et nos dictam Macillem presentem volentem et consencientem ad omnia premissa et singula tenenda et adimplenda dicto capitulo condempnamus, quod universis et singulis quorum interest tenore presencium significamus. Actum cum Roberto de Grouvilla, procuratore dicti capituli, presentibus dictis Guillelmo et Matille. Anno Domini M° CC° LXX° secundo, die martis post Trinitatem Domini.